Crucifixum dominum laudate & sepultum propter nos glorificate resurgentemque
a morte adorate no



# DE REMEDIIS UULNERUM SECUNDUM

priorum patrum diffinitiones dicturi sacri tibi eloquii mi fide-
lissime frater antea medicamina conpendi ratione intimemus.
Prima itaque est remissio qua baptizamur in aqua secundum illud.
nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest uidere regnum dei. Secunda
caritatis affectus ut est illud. Remittuntur ei peccata multa quia dilexit
multum. Tertia elymosinarum fructus secundum hoc. sicut ignem extin-
guit aqua ita elymosina extinguit peccatum. Quarta profusio lacrima-
rum domino dicente. Quia achab fleuit in conspectu meo & ambulauit tris-
tis coram me non inducam mala in diebus ei. Quinta criminum confessio psal-
mista testante. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino. & tu
remisisti peccati mei. Sexta adflictio cordis & corporis apostolo
consolante. Dedi huiusmodi hominem satanae in interitum carnis ut
spiritus saluus fiat in die domini nostri ihu xpi. Septima emendatio morum hoc
est abrenuntiatio euangelio testante. iam sanus factus es noli
ultra peccare ne quid tibi deterius accedat. Octaba intercessio sanctorum
ut est illud. Si quis infirmatur inducat presbyteros ecclesiae & orent pro
eo inponentes ei manus & unguentes eum oleo in nomine domini & oratio
fidei saluauit infirmum & alleuauit eum dominus & si in peccatis sit dimit-
tuntur ei. & reliqua. & multum ualet apud deum deprecatio iusti assidua. Non-
a misericordiae & fidei meritum ut est hoc. Beati misericordes quoniam ipsi
misericordiam consequentur. Decima conuersio & salus aliorum iacobo con-
firmante. quoniam qui conuerti fecerit peccatorem de errore uitae suae.
saluauit animam suam a morte & cooperit multitudinem peccatorum suorum.
sed melius est tibi si infirmus fueris uitam solitariam ducere quam perire
cum plurimis. Undecima indulgentia & remissio nostra ueritate permit-
tente & dicente. Dimittite & dimittetur uobis. Duodecima passio
martyrii spe unica salutis indulgente & latroni cruento deo re-
spondente. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. His ergo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_485/0209